



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 109. Cosmas Medicæus Romam profectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](#)

tri partes sustinens Soanam sibi a Co- Sæc. XVI.  
mite Petiliano traditam protinus non A.C. 1560.  
auditis alterius partis rationibus Cos-  
mæ Medicæo restituit.

## §. CIX.

*Cosmas Medicæus Romam profectus.*

Igitur Cosmas recuperata hac urbe rur- Thuan. l.c.  
sus Pontificem urgebat, ut ad ex- Pall. c. 17.  
terna negotia animum adjiciens mariti- num. 3.  
mas urbes muniret, & Ilvam Insulam  
valido præsidio firmaret, hacque ratione  
Turcarum impetus, atque excusiones  
prohiberet: insuper idem effictim ro-  
gabat, ut Papa tumultuum in Galliis,  
& Scotia ferventium rationem haberet,  
nec tot animarum ob Religionem pericli-  
tantium salutem negligeret: minus vero  
permitteret, ut Principes aliunde, quam  
a Sacra Romana Sede, mali remedium  
peterent, sibique Nationale Concilium  
convocandi autoritatem arrogarent,  
sub falso obtentu, quod Papa etiam  
vehementer sollicitatus Oecumenicam  
Synodum habere detrectaret. Enim-  
vero Pius IV. saepius asserebat, quod,  
antequam Concilium cogeret, cum Cos-  
ma agere, hacque de caussa ipfus Bo-  
noniam venire velit, atque in itinere  
cum hoc Principe ea de re, aliisque ad  
Italiæ securitatem, publicamque salu-  
tem spectantibus se collaturum pollice-

F f 2 batur:

Sæcul. XV  
A.C. 1560.

batur: cum vero Cosmas hujus promissi spem nimis remotam arbitraretur, ipius Romam venire statuit, eoque unum duobus Filiis suis Cardinale, & Garzia Mense Octobri advenit, magna prorsus pompa ibidem exceptus.

§. CX.

*Pontifex sollicitante Cosma Synodum convocare paratus.*

*Thuan. l. c.*

Cosmas ad privatum cum Pio IV. colloquium admissus impetrabat, ut quantocius ad prima anni sequentis auspicia generalis Synodi convocatione promulgaretur, quam in rei Cosmas ita perorabat: „Reipublicæ Christianæ, „cujus Sanctissime Pater, tutor, ac Parrens communis es, omnino expedit, „ut grassanti passim malo remedio universali medearis, nec vero metuere debes, ne Concilium legitime congregatum pro potestate, quam obtinet, gravius quidquam, aut severius in Romanæ Curiæ mores, & abusus statuat, „nam fieri non potest, ut is, qui legitime Pontifex creatus fuit, itidem mores corruptos, & lapsam Ecclesiæ Romanæ disciplinam emendatam nolit: igitur supereat, ut sua Sanctitas sincera, ac simplici fide rem procuret, nec duplicitate in eo negotio verletur, efficiatque, ut ex cunctis orbis christiani partibus